TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE

DE

MORBO FACIEI NERVOSO.

(16)

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
MORBO FACIEI NERVOSO

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS PERRY,
ANGLO-BRITANNUS.

Quem sæpe transit casus, aliquando invenit,
Venienti occurrendum est morbo.

HORAT.

Ad Calendas Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT NEILL ET SOCII.

MDCCCXVIII.

GULIELMO PERRY,

SUO PATRI CARISSIMO,

ET AMICO OPTIMO,

SACRAT DICATQUE

GULIELMUS PERRY.

Nulla occasio melior, Pater Carissime, *unquam mihi foret grates tibi persolvendi, pro cura vere paterna cum qua me fovisti. Hoc igitur tentamen, animi in Te semper gratissimi, et servantissimi, leve pignus, pro cura et solicitudine quibus, meam ætatem teneram et defendisti, et juventutem omnium bonarum artium amore imbuere conatus es, præstaturi, testimonium, accipias oro.* Valete.

TENTAMEN MEDICUM /6

INAUGURALE

DE

MORBO FACIEI NERVOSO.

GULIELMO PERRY Auctore.

INTER vastas accessiones quas Medicinæ scientia ultimo seculo accepit, multi morbi quorum natura imperfecte intellecta est, vel qui auctorum veterum notitiam omnino evaserant, recentioribus investigati sunt, qui ad eos tractandos, omni cura, quam jure sibi vindicant, applicuere.

In hoc numero, morbus de quo in hisce paginis agere in animo est, certe numerandus sit.

Inquisitio tamen longior in historiam affectionis, etiam nostris temporibus non optime intellectæ, quamvis non sæpissime occurrit; attentione quorum medicinæ operam dantium non penitus indigna penseretur, præsertim cum in multis rationibus medendi adhuc propositis, successus ambiguitas ex magna parte confitenda et dolenda est.

Hic morbus, qui in Spasmorum ordine a Sauvagesio reponitur, in Doctoris Culleni Nosologico Systemate non locum habet. Auctor supradictus *Trismus dolorificus* appellavit, et his verbis definit:

"Maxima difficultas est et valde dolorifica, os aperiendi aut movendi, cum uberi ptyalismo, pervigilio, et musculorum vicinorum continua et convulsiva agitatione."

Secundum

Secundum opinionem aliorum qui de hac affectione nuperius scripserunt, non tamen certe constat, anne hæc affectio ad classem Spasmorum pertinet; re igitur in dubio pendente, Morbus Faciei Nervosus, aptius nomen fortasse putaretur, quia plures auctores, ad statum nervorum morbidum, affectionem referre solent, vulgo dictam Gallice, *Tic douloureux*.

HISTORIA MORBI.

Hic morbus raro eos prima ætate adoritur; vita provectiores, et ii plerumque temperamenti nervosi, ad eum aptiores sunt: ex casuum numero, fœminas potius quam mares in eum incidere, videretur.

Sensus rigiditatis, et doloris quasi pungentis lateris faciei affecti, prima plerumque signa sunt.

Motio

Motio levissima faciei musculorum ut in actione edendi vel dicendi sæpe accidit, dolore cruciante, a margine inferiore orbitus oculi, usque ad dentes molares ejusdem lateris extendente, perficitur, qui rami secundi quinti paris nervorum, illum surculum dictum infra-orbitalem, cursu fere consequitur.

Quinetiam caput ex transverso frontis dolet; tempora, aliquando oculi canthus internusque, etiam oculi ipsius globus, non raro dolore afficiuntur; quum id fit, quinti paris nervorum ramulum primum vel ophthalmicum affectionem complecti verisimile est.

Nervus maxillaris inferior affectionis sedes erit, morbo maxillam inferiorem afficiente; hoc tamen rarissime accidit. Portio dura septimi paris plurimos surculos emittit, qui intra sese, et cum ramis quinti paris liberrime communicant; quando igitur auris, processus mastoideus angulusque maxillæ inferioris dolore afficiuntur, hunc ramum cum aliis faciei nervis, male se habere,

bere, certiores sumus. Hæc affectio nervorum generalis in totam faciem fit, quum morbus diu persteterit.

Paroxysmus fere pauca momenta, interdum ad quartam partem, vel etiam sine ulla remissione, rarissime tamen ad dimidium horæ protractus est, ac redintegrationes doloris sæpius interdiu quam nocte recurrere observantur.

Vultus extremum cruciatum exprimens multum contortus est, ut in quibusdam aliis morbis, in ordine Spasmorum observatur: tamen a celeberrimo viro Doctore FOTHERGILL affirmatur*, ut hæ contortiones non spasmodicæ vel abnormes sunt, doloris severitate ægrum excitante ad musculorum validam contractionem, ut sensus crucians quoddammodo sublevetur: denique

---

* Vide ejus Observationes de Nervorum Faciei Affectione dolorifica.—"London Medical Observations and In-"quiries." Vol. v. p. 129.

nique hanc legem esse naturæ, qua musculis valde contractis ibi dolor imminuitur.

Secundum vim et durationem paroxysmi hujusmodi, secretio glandularum parotidæarum et submaxillarum aucta est: ex musculorum actione violenta, subita, æque ac pressura quam ex his causis subeunt hæc organa, id exoriri verisimile videtur.

Non raro morbus intermittentis regularis faciem induit, paroxysmis æqualibus temporibus revertentibus, ut in febre intermittente observatur.

In iis, qui diu hoc morbo marcescunt, maxillæ vel faciei musculis levissme agitatis, dolor illicò supervenit, manuum tactus minimus ejus recursum sæpe efficiet, dum gravior impune sustineatur.

Somnus sæpe ægrum refugit, vel siquando obrepserit gratus, subinde paroxysmi recursu

interpellatur:

interpellatur: sæpenumero cum peracutus dolor sit, oculi hebetes fiunt atque natantes, neque res iis objectas accurate discernere possunt.

Ægri continuo fere timore anguntur ne levissimis causis dolor ingravescat; omnis labor, omnis eos aura terret, atque inanis ipse timor morbum intolerabiliorem reddit.

Porrecto in longum morbo, corpus universum flaccescit, nullo alimento assumpto ob dolorem acerrimum, qui ab omni conatu ad cibum masticandum, excitatur.

Hi paroxysmi acuti sæpe lachrymis affusis terminantur; temporibus inæqualibus tamen iidem recurrunt; tantis totque malis confectus, æger miserrimam vitam protrahit.

DIAGNOSIS.

Morbi quibus cum, hic faciei morbus nervosus confundi possit, perpauci inveniuntur; præcipui horum, Rheumatismus, Odontalgia, et Hemicrania sunt.

A Rheumatismo tamen acuto multum differt, quia pyrexia, quæ citius vel serius semper invadit, pulsus plenus, validus, et durus, qui in hoc fere observatur, in illo omnino deest. Articuli majores, sicuti humeri, cubiti, genua et tali, partes quæ in rheumatismo fere affectæ sunt, nunquam hoc dolore nervoso laborant.

Paroxysmus minimo tactu excitatur, dolore acuto non diu permanente, facie nunquam tumente vel rubescente, quæ in morbo prius dicto plerumque accidunt.

Ex

Ex Rheumatismo chronico facile etiam distinguendum est; nam in hoc dolores obtusi, sæpe calore lecti plurimum aucti, tractum musculorum sequentes, ægrum præcipue vexant; in morbo faciei nervoso hæc symptomata nunquam observanda sunt.

Primo aspectu, hæc affectio dolori cariosis dentibus exorienti persimilis videretur, et quamprimum hic dolor faciei oritur, tum ab ægro, tum a medico, sæpius dentium dolor vehementissimus censetur, et non raro sine ullo morbi levamine dens post dentem evulsa est.

Odontalgia tamen multo sæpius juniores quam seniores afficere reperitur; hæc affectio contra, eos provectiore ætate, ut supradictum est, præcipue adoritur, etiam cum maxillæ, quod non raro accidit, omnibus dentibus orbatæ fuere.

Contractiones præterea clonicæ et abnormes quæ in hac affectione frequentissime adsunt, eam ex odontalgia satis distinguunt.

Dolor etiam in hoc morbo nervoso, eo cariosis dentibus nato, multo acutior est; aliquando tamen accidit ut dentes supernumerarii situ abnormi gingivis egredientes sensum efficiant, inter quem et hanc affectionem nervosam, proxima similitudo est, ac hæ dentes, omnino inutiles, quam citissime extrahi debent.

Experientia tamen docemur, eos qui olim dentium doloribus obnoxii fuere, fere in hunc dolorem procliviores esse.

Ex hemicrania etiam facile distinguendum est, nam in hoc morbo dolor obtusior est, et generalis in capitis totum latus affectum, in illo nervi affecti ramulos accurate consequitur, ac remedia quæ in hemicrania utilissima reperiuntur, ad hanc affectionem sublevandam nihilo valent.

DE RATIONIBUS MEDENDI.

Variis opinionibus adducti, quas de natura morbi habuere, medici multis diversis modis hanc affectionem levare conati sunt: hi, acrimoniam per partem affectam diffusam, causam proximam esse opinati sunt; illi ad nervi ipsius vel ejus fasciæ morbidam conditionem, eam referre solent. Hic tamen nobis confitendum est, causas veras hujus morbi penitus in tenebris recondi.

Priorem sententiam supradictam habuit vir celeberrimus Dr S. Fothergill, ac multis argumentis hanc vindicare conabatur: ille extractum Conii maculati, cujus usus in scirrho a Stoerck tam multum laudatus est, primum adhibuit, quod ad dolores acutos solvendos ab eo haud parum valere dicitur; contra tamen hanc opinionem dici potest, in multis morbo laborantibus talem statum morbidum fluidorum certe non suspicari posse.

Emplastra

Emplastra cicutæ parti affectæ imposita, sæpe saltem pro tempore doloris remissionem dabunt; hoc modo cicuta adhiberi potest, si corpus debilitatus morbo diu perstante, ejus internum usum minus idoneum reddat.

Stimulantia et vesicatoria plane nocent, et præcipue notandum est, omni irritatione dolore semper ingravescente, ut medicamenta hujusmodi maxima cura evitari debent.

Antispasmodica tantum levamen pro tempore præbere videntur, morbo post horum usum, aucta vi sæpissime redeunte: in quibusdam tamen casibus opium diu adhibitum aliquid commodi dare comperitur; nausea tamen et vomitus, et diminutio omnium secretionum et excretionum, quæ ex hac medicina per longum tempus adhibita, fieri fere observantur, efficiunt ut non omni ægro libere præcipiatur.

Sanguinis detractio per cucurbitulas cruentas vel hirudines parti admotas, quibusdam proposita,

sita, ad hanc affectionem pertinacem levandam, raro convenit.

Symptomata tamen severitate aliquando imminuta sunt, unguento hydrargyri in corpus bene infricato, donec effectus hydrargyro proprii, sese plane in gingivis ostendunt; dein gingivas teneres servare curandum est, usque dum signa morbi evanuerunt *. Aliquod tamen discrimen est, ne medicaminum intermissio morbi recursui faveat, quia statum debilitatis inducit, quæ sæpe hujus affectionis causa prædisponens esse censeatur.

Nuperius in doloribus faciei acutis, Atropa belladonna, externe in forma emplastri parti affectæ imposita, interne in forma grani dimidii pulveris bis terve die pro dosi, plurimum auxilii afferre, musculorum actionem abnormem compescere, ac morbum gradatim dimovere dicitur; in

* Vide bonos hujus effectus, vol. iii. "Edinburgh Medical Journal," p. 272.

in usu tamen hujus medicinæ æger spe sanitatis vana redeuntis, sæpe decipitur, nam artuum tremores, vertigo, ac alii peculiares sensus ingrati, omnia quæ ægro dolores accumulant, jam pene intolerabiles, faciunt ut hoc remedium necessario pro tempore, intermittatur; remedio remisso, iterum affectionis recursu æger vexatur.

Hæ denique sunt rationes medendi quæ ad hanc affectionem interpellendam a medico plerumque propositæ sunt.

Ii, contra, qui ad statum morbidum nervi ipsius, vel ejus fasciæ affectionem referre solent, strenue affirmant, curationem vix aut ne vix expectandam esse sine sectione nervi affecti.

Hæc operatio a M. Andry, claro Gallico chirurgo, primum proposita et perfecta in nervo affecto transverse secando constat, qui, ut supradictus est, fere nervus infra-orbitalis vel superior maxillaris est, et in multis casibus ab eo narratis, ad affectionem radicitus dimovendam multum prodesse dicitur.

Hac

Hac severa operatione an morbus semper sanari potest, nunc nobis considerandum; est nam si ut sæpenumero est, nervi qui cum sese et aliis in facie tam liberrime inosculant, morbum complectantur, plane apparet, ut divisio nervi tantum unius parum commodi præbeat, si alii nervi simul morbo afficiantur: hoc fere accidere observatur, cum ea pars portionis duræ septimi paris, vulgo dicta, Pes anserinus, morbo laboret; nam ab omnibus confitendum est, divisionem secundi rami quinti paris nihil ad curationem prodesse, cum nexus inter cerebrum et sedem irritationis tali divisione non interpellatur.

Præterea, vi nervosa hac nervi sectione penitus deleta, paralysis omnium musculorum ad quos nervus divisus distributus est, exoritur; in partibus fortasse non male se habentibus sensus aliquando deletur, sæpissime obtunditur.

Hoc malum autem levissimum esse sponte discessurum, neque medici auxilium postulare, plurimis affirmatur.

Tamen

Tamen docuerunt multa exempla, parte affecta ad statum priorem redeunte, ut æger sæpe recursu morbi conflictetur. Ad hanc opinionem confirmandam, exemplum a SAUVAGES narratum haud parum tendere videtur, ac nuperiora non desunt: "Ægra ictum passa circa oculi canthum nasalem, inde fistulam contraxit in maxilla superiore, quæ evulsis tribus dentibus anticis sanatus est; verum siccata ocyus fistula, supervenere convulsiones dolorificæ sæpe in hora nocte diuque recurrentes, ægra libere manducare, tussire, nares emungere non potest, quin dolores atroces et spasmodicas agitationes faciei pateretur, ac multos modos curandi supra narratos, sine ullo morbi levamine, tentaverat, celeber chirurgus MARESCHAL divisionem nervi infraorbitarii proposuit; id factum est, ac ea nocte ægra pacate dormivit, verum intra paucos dies, morbus recruduit."

Hæc quæstio de nervi affecti divisione, in Lutetia Parisiorum, sub ultimi finem seculi multum disputata est, ac multa argumenta protulit

VIEILLART,

VIEILLART, in dissertatione cui titulus, "Utrum in pertinacibus capitis, et faciei doloribus, aliquid prodesse possit, sectio ramorum nervi quinti paris," hanc operationem non ad sanitatem reducendam valuisse, facultas Medicinæ sibi persuasum habebant.

Absque tamen in arenam descendendo nobis fateri oportet, hanc operationem multis defectibus obnoxiam esse, ac non in omni casu prodesse reperietur; nam nervo sensum priorem recuperante, iterum forsan æger in morbum incidat.

Ex multis exemplis certe constat, divisionem nervi parum commodi præbiturum esse, ubi affectio formam intermittentis induit; in casibus hujusmodi, cinchona, divisis dosibus usque ad unciam per diem, exhibita, utilissimum remedium sæpissime reperietur; ac forsan liquoris arsenicalis guttæ tres vel quatuor, ter quaterve die eadem ratione cum fructu usurpetur.

Compressio nervi affecti nuperrime multum laudata est; tamen, cum exempla successus hujus practicæ desunt, tantum levamen pro tempore præbere verisimile est, ac, pressura sublata, morbum iterum ingravescere *.

Denique observetur, ut cum morbus aliis remediis pertinaciter obstitit, nervi affecti divisio sæpe ultimum refugium præbebit; tamen, ob severitatem operationis, et mala sæpe consecutura, simpliciora consilia medendi tentare oportet, priusquam ad hoc recurrimus. Nunc mihi licebit simplicissimam practicam examini subjicere, quæ, ut ipse vidi, dolorem acutum mitigare, et exacerbationum impetum haud parum rumpere, tendit.

Hic modus in affusione aquæ egelidæ, parvo rivo ex quadam altitudine in partem affectam, præcipue constat, capite in vasem idoneum inclinato,

* Vide Duval, opere cui titulus, " Observations sur " quelques Affections douloureuses de la Face."

clinato: Cantharus circa congium continens, huic usui optime inserviet, ac omni doloris accessione, an potius cum accessio expectanda sit, hæc affusio nocte diuque diligenter repetenda sit, usquedum tremoribus dentes sese vehementer feriunt, ut frigore hyemali incidere solitum est.

Postea summa cutis bene pannis crassis fricetur, donec pars a frictione colorem ruberrimum acquireret.

Reactio vasorum superficiei corporis, hac exercitatione cutis prolata, semper diligenter hoc modo excitanda est, levatione symptomatum multum ex ea pendente.

Si æger primo aquam gelidam non bene tolerare possit, aqua a gradu septuagesimo ad octogesimum calefacta uti opus erit; modi curationis supradicti successu tamen maxime a frigore pendente, quam celerrime temperamentum usque ad punctum congelationis minuere debemus.

Postea

Postea tonica utilissima reperientur, quorum omnium cinchona optima: præparationes etiam ferri, etiam summo commodo sæpissime exhibeantur.

Hic modus, cum usu balnei in mare æstate, et balnei pluvialis domi hyeme, hujus doloris cruciantis reditus arcere, et sanitatem promittere videntur.

Hic locum habeat exemplum, in quo boni effectus frigoris, modo supra narrato, parti affectæ admoti, plane apparent; alia in promptu sunt, quæ tamen, propter longitudinem, narrare non oportet.

Fœmina nupta, macra, temperamenti melancholici, circiter quartam partem anni post partum, hoc atroci morbo per plures menses excruciabatur; imprimis odontalgia a chirurgo suspicabatur, ac extractio duarum dentium carie consumptarum ab eo perfecta est, sine ulla tamen levatione affectionis; tunc materiem purulentam

antro

antro maxillari causam doloris esse recensebatur; tamen ut multa symptomata, nempe sensus ponderis et doloris obtusi fere perpetui circa partem affectam, mucus narium sæpe cum pure commistus, quibus docemur hoc vere fieri, defuerunt, perforatio antri quæ proposita fuit, ab omnibus derelicta est. Dolor nunc acerrimus factus est, ac si ad verbum proferendum vel quidpiam edendum, maxilla moveretur, per totum faciei latus sinistrum, præcipue circa vicinam masseteris, convulsionibus cruciantibus laboravit, quæ ipsi vitam miserrimam reddiderunt. Antispasmodica parum commodi præbuerunt, ac præcipue opium, sine tamen optato successu, satis magnis dosibus præceptum est; denique nulla solita remedia ad recursum doloris interpellendum valere, viderentur.

Irrigatio frigida, modo jamjam dicto, tunc adhibita est; aqua imprimis ad gradum septuagesimum calefacta, tertia die tamen ad temperamentum frigidissimæ fontis imminuta, omnia symptomata brevi tempore sedata sunt, paroxysmi

mi qui fere omni hora, nunc tantum ter quaterve in die revertebant, ac cum usu cinchonæ, et tonici regiminis, ac præcipue balnei pluvialis, denique penitus evanuerunt, ac ægra sine ullo recursu morbi sane vixit.

Hic morbus videretur generis nervosi, cujus vitia tam parum cognita sunt, et causa morbi abdita; in tenebris densis, modus igitur quo hæc ratio medendi prosit, ni fallor, parum certe intellectus sit.

Tamen fortasse credi potest, ut nervi morbo relaxati, roburque vigorem participent, quæ musculis vicinis frigida affusio semper impertiri reperitur.

Ex analogia etiam inter hanc affectionem et et Tetanum, frigida affusio, in ambobus morbis eodem modo prosit; nam in hac affectione, balneum frigidum ad spasmum relaxandum utilissimum remedium comprobatum est.

Præterea,

Præterea, ut in iis hoc morbo faciei nervoso laborantibus, temperamentum nervosum, et is peculiaris status systematis qui *mobilitas* vocatur, fere observari potest, ratio magis apparet, qua hæc remedia roborantia huic affectioni melius obstant.

Alii putant, nervum hoc morbo pertinaci correptum, sensu supra naturam acuto, præditum esse, ac frigus modo jamjam dicto adhibitum, nervi affecti morbosam sedando irritationem recursui paroxsymorum adversari, et sic postremo hunc dolorem atrocem penitus arcere.

Ratio talis tamen iis qui æquo animo in hanc rem inquirant, certe non satisfaciet; ac forsan potius de peculiari nervi ipsius statu, non optime intellectæ, potissimum pendeat. Exemplum a Doctore Monro, in ejus prælectionibus, narratum, ubi eruptione erysipelatosa in faciem apparente, affectio subito evanuit, ad hanc sententiam confirmandam haud parum tendit: ac quam parum veræ causæ morbi adhuc cognitæ sunt, plane demonstrat,

demonstrat, quia plerisque auctoribus strenue affirmatur, exulcerationem arte inductam, etiamsi pro tempore dolorem allevet, in summum nihil ad curationem valere.

Hæc demum sunt pauca quæ de historia et curatione hujus affectionis dicenda habui; et si aliquid utile, utcunque parvum, in hoc brevi tentamine protulerim, suprema vota profecto consequutus sum.

FINIS.